Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2165
Quelle:
Copyright:

quae mythologica eſt, Figuris XL. ornatum, cum Editio princeps *Veneta* 1482. 4. et ultima *Aug. van Staveren Lugd. Bat.* et *Amſt.* 1742. 4. Figuras in parte aſtronomica exhibeat. Initium Prooemii eſt: *Etſi te ſtudio grammaticę artis inductum* &c. Ad calcem: *Explicit proemium. Incipit liber ygini.* Ita: *Mundus igitur appellatur is qui conſtat ex ſole et luna* &c. Lectio cum edit. *Batava cit.* probe conſpirat; offert tamen quaedam, quae haec ne quidem in *Notis* tangit, utut praeferenda videantur. En ſpecimen e Prooemio: *Diximus etiam inde eſtiui circuli diffinitionem*, pro *in aeſtivi circuli definitione* Item: *quare non eſſent in ſpera ſuperiora interioribus hemicicli equalia* pro *in ſphaera ſuperiore* Demum: *ampliſſima laus eſt doctis*, omiſſo *hominibus*, quod alioquin paullo poſt redit. Deeſt tamen in *Cod. fol.* 158. p. 2. deſcriptio *Arae* inter *Centaurum* et *Hydram*, quae in Edit. *cit.* p. 540. eſt L. III. c. 38. Deſunt item extrema illa: *et zodiacum ad id ſignum* &c. et ſubſcribitur: *Explicit liber ygini de aſtronomia.*

XV. *fol.* 162. iterum ex abrupto: *Quę dum geruntur & deorum ſacer ſænatus numerorum concinentium repugnantiumque miratur anfractus* &c. Agnoſco *Mart. Capellae de Nuptiis Philologiae Librum* VIII. qui eſt *de Aſtronomia*, et extat edit. *Raphelenq. ſupracit.* p. 270. porrigitur vero in *Codice* usque ad *Stellam Mercurii* edit. cit. p. 297. in iis ſiſtens verbis: *flexior equinoctialem pene directum ſecat.* Lectio ipſis Editis deterior eſt, neque multum opis inde ſperandum *Capellae.* Video tamen ſub ingreſſum *Timaei ſui caliginoſa pro caligoſa, interdictae uocis* pro *inter doctae, vernulaeque*, pro *vernaculaeque*, &c. quae certe finceriora ſunt. Ad calcem tam egregii, quam operoſi Codicis hujus iſtud divae Διαιτης Monitum jacet:

Parcius ambigue ſumantur fercula menſe.
Plurimus in multis languor deprenditur eſcis.

DCCCC.

R. 845 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 166. f. nitide perſcriptus, liturgicus eſt, et inſcribitur: *Agenda Der Chriſtlichen Kirchen im Ertzhertzogthumb Oſterreich ob der Enns.* Qui in *Auſtria* ſupra *Anaſum* ad *Lutheri* doctrinam deflexerant, Proceres, ſi *Raupachium* in *Evangel. Oeſterreich 1. Fortſetz. Hamb.* 1741. §. 37. p. 257. et ex eo *Waldavium* in *Geſch. der Proteſtanten in Oeſtreich* &c. 1. B. *Anſpach.* 1784. c. 52. p. 194. 8. audimus, jam a. 1576. a *Maximiliano* II. veniam petierant proprium ſibi condendi Rituale Sacrorum, cumque voluntas eſſet Imperatoris, ut illud adoptarent, quod a. 1571. Optimatibus infra *Anaſum* indulſerat, detrectaverant, eorumque Paſtores jam his,

jam